



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

XX. V. possit Papa cum Co[n]fessario dispensare, vt reuelet Confessionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

Quæstio Potestne Papa cum Confessore dispensare, ut reuelet Confessionem?
XX.

Respōsio. **M**inimè, idque probatur **PRIMO**, quia Papa non potest dissoluere, quod iure necessario & Diuino est institutū, quale est, Confessionem in omni euentu celare. Id patet; quia, ut ait Paulus: Non est data potestas Papæ ad destructionem, sed ad ædificationem; Et quod à **D E O** est institutum, per homines dissolui non debet. Vnde & **Vrbanus** Papa dixit, Diuina mandata, seu instituta vsq; ad sanguinem esse defendenda, & nō violanda. Constat autem Confessionem omni iure esse celandam.

1. Cor. 10.

SECUNDO, non potest Papa dispensare in præcepto de Baptismo, aut de Confessione facienda, saltem tempore necessitatis, quādo de iure Diuino tenetur homo cōfiteri: Igitur nec potest dispensare in præcepto de celandā Confessione. Consequentiā patet à minori, quia maior est obligatio celandi Confessionem, quā sit obligatio cōfitendi, ut ex sæpe dictis patet.

TERTIO, non potest Papa dispensare in præcepto de vitando scandalo: Igitur nec in præcepto celandi Confessionem. Nam non minus, imò maius est vinculum celandi Confessionem, quā sit vinculum vitandi scandalum, & pro ut colligitur ex Cap. Sacerdotes,

erddotes. De Pœnitentia, Dist. 6. vbi dicitur: quòd nullo vnquam tempore, aut casu licitū est Confessionem detegere, etiam pro vitādo scandalo. Qui autem non potest id, quod minus est, nec poterit id, quod maius est, iuxta regulam iuris. Si vinco vincentem te, à fortiori, vincam te.

Nunquid Sancti Patres, & veteres Doctores, hoc Confessionis Secretum etiam docuerunt?

Questio XXI.

MAximè: Et ne cuiquam ea de re dubium ullum esse possit, testimonia quædam eorum proferemus.

Responsio.

De S. Ambrosio Paulinus eius discipulus ita scribit: Erat gaudens cum gaudentibus, & flens cum flentibus. Siquidē quotiescunq; illi aliquis ob percipiendam Pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, vt & illum flere compelleret: Videbatur enim sibi cum iacente, iacere. Causas autem criminū, quas illi confitebantur, nulli, nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur; bonum relinquens exemplum posteris Sacerdotibus, vt intercessores apud DEVM sint magis, quàm accusatores apud homines.

Pauli. Nolæ Episc. in vita D. Ambrosij.

Augustinus eodem sensu, quia & eodem spiritu ita scribit: Si transgredimur in aliquo peccato post Baptismum, id est, fontem lacrymarum.

Aug. ad Iulianū. Comit. Epist. 111.

chryma-